

16335.

**OBSERVATIONES
MEDICO-OBSTETRICIAE.**

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR
PUBLICICE DEFENDET

BIBLIOPR:
ACADEM:
DORPAT:

AUCTOR

PETRUS LIUBOWSKY.

CHARCOVIENSIS.

MDCCCXXXVIII.

EX OFFICINA HEREDUM LINDFORSIANORUM.

IMPRIMATUR

haec dissertatio ea conditione, ut, quumprimum typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio inspiciendis libris constituto tradatur.

Dorpati Livonorum die XXV. mens. Maii MDCCCXXXVIII.

Dr. Fridericus Erdmann,
Ord. Med. h. t. Decanus.

D 12 0 52

VIRO
EXPERIENTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO

PIERS USO WALTER

PROFESSORI LITER. UNIVERSITATIS DORPATENSIS P. O.

PRAECEPTORI CARISSIMO
AD CINERES USQUE COLENDO

PRO SUMMIS
AD STUDIA PROMOVENDA IN SE COLLATIS
BENEFICIIS

HANC COMMENTATIONEM
PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Continebitur sequentibus brevis quaedam descriptio eorum casuum, quos equidem, medicus auxiliarius, duce P. U. Walter, praeceptore nostro, magno opere venerando, in obstetricio Dorpatensi instituto annis 1836, 1837 et tertia parte anni 1838 observavi; adjunxi etiam nonnullos casus, quos mihi considerandi in privata praxi oblata est occasio.

Anno 1836 quadraginta et quatuor feminae, ut instituerentur in ipsis explorationes, hoc nostrum institutum adierunt; partum ibidem feminae ediderunt triginta et septem; gemini non nisi semel in lucem edebantur; inter infantes autem triginta octo, quos dixi partos esse, erant viginti pueri, puellae rursus duodeviginti; semel etiam accidit, ut quinto mense graviditatis mulier faceret abortum; mortui jam infantes editi sunt duo; puerperae ipsae et caeteri infantes salvi sunt demissi ex instituto, in quo tantum unus infantium, qui sex vel octo hebdomades justo prius erat editus, nono jam die, quia magna ejus erat infirmitas, diem supremum occubuit; praeterea tres feminae ab nonnullis statibus morboris a nobis tractatae erant, una earum mortem occubuit.

Anno deinde insequenti institutum nostrum a quadraginta duabusque gravidis feminis frequentatum et omnino triginta et quinque mulieres habebat, quae partu

solverentur; gemini ut ederentur rursus semel tantummodo accidit; infantium autem hoc anno natorum triginta sex, pueri quidem erant viginti, puellae sedecim; tres etiam infantes mortui jam in lucem sunt editi; ut quatuor hisce ex puerperis graviter aegrotabant, ita omnes tamen integrae validaeque demissae sunt; infantium autem sex hoc anno morte abierunt. Bis operatio est facta ad uteri prolapsum.

Quatuor primis mensibus anni hujusce 1838, tredecim usu venerunt partus; semel occurrit, ut infans septimo jam mense graviditatis editus, mortuus jam paretur; in uno casu placentae solutio artificialis peracta est; puerperae omnes salvae sunt demissae, duo infantium mortem occubuerunt.

I. Observationes quaedam in gravidis.

Harum quidem valetudo ut in universum bona erat; ita in paucis earum ultimis mensibus graviditatis congesiones aderant ad caput atque ad pectus, quas tamen venae sectionibus institutis adhibitoque regimine antiphlogistico haud difficulter tollebamus. In alia quadam muliere, iterum gravida, ultimis diebus quatuordecim graviditatis vehementes dolores in regione renali apparebant, qui ab isto loco in partem anteriorem usque ad vesicam urinariam protedebantur, conjuncti illi quidem cum mictus molestiis; ipsa urina rubefacta erat, parca demittebatur formabatque sedimentum quoddam quod ex parvulis constabat lymphaticis granulis, ejusdem magnitudinis atque granum est milii; ipsa aegrota omni febris carebat; hanc igitur affectionem ut tolleremus in usum

vocabamus tepidas fomentationes in regione lumbali, interne autem praescriptae sunt: opium in forma pulveris Doweri, emulsio cum aqua laurocerasi, pulvis äerophorus, venaesectio facta, omnia tamen haec sine successu; molestiae istae perdurabant usque ad partum, qui sine ulla abnormitate processit, neque post partum rursum apparuere. Hinc igitur certum videtur esse, molestias istas inde profectas esse, quod pressionem exhibuit uterus in nervorum plexus renales.

Auscultatio ad abdomen gravidarum est illa instituta praecipue ultimis tribus mensibus graviditatis; foetus ipsius cordis palpitatio semper, accurata investigatione constituta, potuit animadverti; strepitus placentae, quem vocamus, qui tamen haud dubie originem non trahit a placenta, nobis etiam id apparebat esse signum, quod non magni videretur aestimandum esse ad diagnosin, namque non constans plerumque hoc signum in abdomine gravidarum apparebat, deinde idem una in femina observatum est per quoddam temporis spatium, ubi probabiliter degeneraciones fibro-cartilagosae sub abdominis tegumentis et in ovariis graviditatem jam propectam simulabant *), et clare est auditum in partibus infantium, jam longiore temporis spatio antea demortuorum. E contrario autem aestimare non satis potuerim pretium auscultationis ictuum cordis foetus; quippe quae nobis certissimum praebeat signum ex quo vivere foetum cognoscimus, et, praeterquam quod non facile aliqua hoc

*) J. G. Herrath. Quae ex auscultatione obstetricia de foetus vita aut morte concludi possint. Diss. inaug. Petropoli 1836. p. 59.

recuset, certissime nos de graviditate ea edoceat, quae forsitan occultari tentetur.

Observationes quaedam stethoscopicae, quia admodum fuerunt raras, dignae mihi videntur esse, quas afferam describamque diligentius.

In muliere, quae in initio ultimi mensis nonae graviditatis versabatur, cujusque abdomen antrorsum erat extensum, in quaque in interna exploratione manuali caput praevium facile poteramus animadvertere, sub auscultatione obstetricia die XI mensis Aprilis anni 1836 instituta, audiebatur strepitus placentaris, quem vocant, cum pulsatione gravidae isochronicus, dextra et laeva abdominis parte ad utraque latera umbilicalia, valde diversus ille quidem fortitudine sua, ita ut omnino nunc evanesceret, nunc clarius audiretur; dextra parte uteri supra umbilicum audiri potuit palpitatio cordis foetus, ictus nempe centum quadraginta et quatuor in sexagesima quavis horae parte; proxime autem hoc ab loco distincte potuit animadverti pulsatio funiculi umbilicalis in forma susurrus cujusdam simillimi strepitui placentari, qui susurrus frequentia sua concordabat cum cordis ictibus foetus; hoc quidem ultimum phaenomenon observavimus fere per dimidiam horae partem, qua quidem elapsa amplius animadverti non potuit.

In alia quadam muliere, quae iterum in ultimis versabatur diebus graviditatis, auscultatione die Martis mensis XXIV anni 1837 instituta, audita est pulsatio funiculi umbilicalis, eadem omnino ratione uti antea, eo loco, quo, externa exploratione manuali instituta, infantis dorsum facile potuit cognosci, dextra parte ab umbilico, longe ad posteriorem partem versus, supra cristam

ilei; hoc tamen in casu breve tantummodo tempus haec res observabatur, quo praeterito demum, postquam susurrus iste disparuit, palpitationis cordis foetus animadverti nobis potuit. Certum quidem videtur esse, utroque in casu funiculum umbilicalem supra dorsum infantis jacuisse, quo factum est, ut propius accederet ad uterinos parietes; quod vero altero in casu cordis palpitationis eodem omnino tempore audita non est, id quidem inde fortasse evenit, quod massa quaedam liquoris amnii inter infantem superficiemque uteri interiorum versabatur, quae quidem massa, postea cedens, umbilicalem etiam funiculum fortassis ex priore situ levavit movitque.

Die Septembris mensis XXIII anno 1837 advocatus equidem sum aliquot milliaria ab urbe nostra ad hospitam quandam; quae, ad pariendum vicina, multum laborabat pectoris angustationibus et sanguinis congestionibus oriundis: haec affectio ut tolleretur adhibita nobis est venaesectio. Externam abdominis explorationem instituenti apparebat mihi abdomen valde extensum, prone inclinatum, fundus uteri autem haud parum videbatur abscindere a scrobiculo cordis, umbilicus loco solito inferioris situs, abdomen densum durumque, non satis facile ad percussendum quod attinet ad partes infantiles; interna autem exploratione ab obstetrice instituta portio vaginalis uteri, aperto orificio, erat alte ad os sacrum versus posita, vix aditu facilis, neque ulla pars infantilis praescrutari censebatur. Percussus abdomen stethoscopio, dextra ab umbilico parte, eadem qua umbilicus altitudine, inveni palpitationem cordis foetus distincte intra sexagesimam quamque horae partem centies ac vicies micantem, laeva autem a parte umbilici, supra

umbilicum rursus palpitatio cordis foetus audita et quidem quaque sexagesima horae parte centum triginta duo ictus numerati sunt, loco autem intermedio inter has duas regiones nihil a me potuit percipi; praeterea laeva abdominis parte, alte, placentae strepitus magno ambitu nobis auditus est; haec igitur quum ita se haberent, dubium mihi non videbatur esse, quin haec graviditas esset gemellorum. P. U. Walter die postero, muliere visitata, ea, quae equidem observaveram, vera esse affirmavit; atque quum eandem auscultationem ambo pluries reiterarem, eadem omnino, quae primo die, tunc etiam observavimus. Neque spes nos fefellit; quippe quum diagnosis veram fuisse, ipse partus, qui sequutus est quatuordecim post dies, satis probaret. — Haec autem observatio ipsa fortasse objiciatur observationibus clarissimi P. Dubois *), qui graviditatem dicat gemellorum, stethoscopio statui tantummodo posse ipso tempore partus, liquore amnii jam effuso.

II. Observationes in partibus ipsis.

Frequentissime, uti solito, observatus nobis est situs primus infantis, praevio occipite; secundum quem nonnunquam etiam inventus est jacere infans situ occipitali tertio, ubi quidem sutura sagittalis in obliqua diametro erat, et ubi minor fontanella parte dextra et postica pelvis versabatur; at tempore progrediente in

*) Dubois, Paul. De l'application de l'auscultation à la pratique des accouchemens. in Archives générales de Médecine T. XXII Decembre 1831. p. 437. seq.

partu ipso, minor fontanella magis magisque in partem anteriorem et dextrorsum se vertit, quae quidem conversio plerisque in casibus haud parum profunde facta est in pelvi, prope ad finem tertiae periodi partus. Situs secundi generis, is occipite praevio, in quo fontanella minor in ipso partus principio, quantum poterat observari, dextrorsum parte antica stabat, non ita saepe hic etiam incidit; nec non situs occipite praevio generis quarti, qui tamen posteriore partus decursu in situm generis primi transit. Situs obliqui foetus in partus principio, nonnunquam etiam sunt observati, ubi per vaginae fornicem et per os uteri nullam partem praeviam sentiebamus, caput autem in uno vel altero osse ilei positum esse, externa exploratione inveniebamus; semper vero adhibito parturientis apto laterali situ, caput in pelvim intravit.

Inter situs duos, ubi praevia fuit facies, alter quidem erat generis tertii: observatus hic est situs in femina primum pariente, in qua sub partu vesica dirupta est, ore uterino ad digiti tantum introductionem aperto; hoc in casu glabellam, nasum, naribus ipsis in partem posticam pelvis conversis, alte adhuc in pelvi, in prima diametro obliqua sitae, distincte persentiscere potuimus; orbitae erant in secunda diametro obliqua. Uteri os tarde admodum lenteque aperitur, caput vero doloribus ad partum acerrimis comitantibus magis magisque per cavitatem pelvis descendit; facies eundem semper situm obtinuit usque ad ipsum exitum pelvis, praeterquam, quod semel, instituta exploratione, uteri ore unum et dimidium pollicem aperto, nares omnino ad dextram partem versae nobis inveniebantur, unde tamen postea ror-

sus in posticam partem vertebantur; facies ipsa vehementer admodumque intumuit et tantum in pelvis exitu, proxime ante evolutionem faciei (vor dem Einschnelden) digitus explorans nares reperit in dextram et anteriorem partem conversas. Contractione uteri vehementi nunc accidit, ut facies evolvi inciperet: mentum omnino sub arcu pubis versabatur, commissura posterior vulvae frontem circumdedit; hoc igitur in situ partus inter centesimam et vigesimam horae partem morabatur, qua in pausa perspicue in facie infantis admodum distorta os se movere videbamus. Postquam provenit caput, mentum ad laevum matris femur est conversum. Infans ipse sanus in lucem editus est. Iterum nobis situs facie praevia in altera quadam observatus est muliere, quae saepius jam partum ediderat, quaeque id videbatur peculiare sibi vindicare in pelvis structura, quod promontorium, solita ista interna exploratione uno digito instituta, facile ad assequendum est inventum; conjugata autem externa erat illa quidem pollicum septem et dimidii, ita ut hanc ob causam, praeter quam quod priores partus facillimi admodum et expediti fuerant, nullam possemus statuere conjugatae angustationem. In ipsa exploratione, quae paulo post introitum dolorum ad partum incepta nobis est, uteri segmentum inferius alte positum reperiēbatur, uteri os pollicem dimidium dilatatum; sentiebatur deinde eadem in exploratione per uteri os vesica, per eamque sutura frontalis in secunda obliqua diametro; et inde in glabellam ventum est, ad nasumque cujus nares in dextram et anteriorem partem conversae erant, atque omnino in parte antica dextraque os est repertum; orbitae positae illae quidem erant prima diametro obliqua, ita,

ut huncce situm potius imperfectum facie praevia nominare potueris. Postea autem, quum magis dilatatum jam esset os uteri, vesica magna est repleta liquoris amnii copia, hinc igitur quum hocce factum esset, anteriore tantummodo parte pone arcum ossium pubis, infantis aliqua pars potuit persentisci, quae tamen non facies amplius erat, sed frons tantum, cujus sutura in diametro secunda decurrebat. Progrediente autem tempore ita intendebatur vesica, ut nihil omnino de parte infantis praejacente sentire possemus; itaque tum demum, postquam dirupta est vesica, praeiviam invenimus foetus verticem, majorem fontanellam fere sitam sensimus linea media et recta diametro sagittalem suturam, minorem fontanellam alte pone arcum ossium pubis. Quod vero caput versum erat circum axem suum transversum et deinde infans circum axem suum longitudinalem, id quidem verosimile est factum esse, quum aquae nondum diffuserunt. Paulo post autem, quum dirupta esset vesica, infans in situ primi generis occipite praevio, in lucem editus est.

Et rursus aliquando accidit nobis, ut in gravidae feminae exploratione promontorium attingere possemus; hoc igitur in casu ipse partus infantis, qui jacebat in situ primo praevio occipite, doloribus ad partum acerrimis comitantibus, admodum celeriter provenit. Conjugata interna, quam post partum manu metiebamur, erat illa quidem pollicum trium et quadrantis; caput infantis transversa diametro habuit pollices tres et dimidium, potuit tamen sine ulla difficultate usque ad pollices tres et quadrantem pollicis comprimi; ad laevum os parietale

impressio erat facta promontorii; infans vivus in lucem edebatur.

Ex quatuor, quos in nosocomio observavimus, situs praeviis clunibus, bis quidem hic situs erat generis secundi et omnino sine artis auxilio per sese decurrerunt hi casus; duo reliqui situs praeviis clunibus obvii erant in gemellorum partibus, in quibus semper prior infantium hoc situ, eoque generis primi positus erat.

In tribus gemellorum partibus, quos omnino mihi praebita fuit observandi potestas, semper prior infantium ad ipsum partum praevia extremitate trunci inferiore jacebat, dorso dextrorsum sito: alter autem infantium situ primo praevio occipite inventus nobis fuit. — Primum incidit casus, ut parturiens dirupta jam vesica, in nostrum institutum veniret; ubi quidem vix quartam horae partem morata erat, quum prior infantium, praeviis clunibus est editus; neque multo post altera vesica adstabat et vehementibus doloribus, qui haud quaquam remiserant, ita detrusa est, ut ad externa usque genitalia perveniret. Haec autem vesica, quum arte dirupta vix esset, alter infantium praevio occipite situ primo est in lucem emissus. Infantes, qui videbantur nobis esse immaturi, paucis diebus postquam parti erant vitam cum morte commutarunt. Et est profecto hoc omnium maxime dolendum, quod non poteramus in processu partus hujus stethoscopicas observationes facere, quippe quum parturiens, quae justo serius accepta est in nostrum institutum, admodum celeriter partu solveretur. Sua uterque infantium velamenta ovi habuit, suam placentam.

Alter gemellorum partus, 1836 anno; implicitus inter sese situs infantium.

A. R. puella quaedam, primum gravida, mediae magnitudinis, regulari pelvis structura praedita et constitutione satis bona validaque, sensit, ut ipsa edixit, primos dolores ad partum die mensis Aprilis XXVI, quibus quidem ex doloribus id consequutum est, ut aquae effluerent; quod quum factum esset, dolores remittebant at die ejusdem mensis XXVIII rursus apparere vesperi; hi igitur dolores, cum vehementiores evaderent, haec femina insitutum nostrum adire constituit, quo recepta est die XXIX mane hora fere sexta. Instituta exploratione externa admodum extensum apparebat abdomen; fundum uteri inter cordis scrobiculum et umbilicum invenimus; laeva parte supra umbilicum duri aliquid potuit sentiri, (quod fortasse dorsum foetus esse potuit) eodemque in loco perspicue cordis palpitationem foetus audire potuimus, micantem illam quidem centesies quadragesies quater sexagesima quaque horae parte; placentae strepitus admodum magno ambitu audiebatur. Interna deinde exploratione facta fornicem vaginae cum praejacente parte paululum supra mediam pelvis aperturam situm reperiebamus uteri os paene linea media inveniebatur, vix unum pollicem apertum et per hoc perspicue sensimus clunes infantiles, apice ossis coccygis in laevam et posticam partem conversa et stantibus prima obliqua diametro tuberibus ischii; parte autem postica pelvis juxta laevum tuber ischii sensimus hoc in casu calcem et sursum ab apice ossis coccygis anum reperimus testiculosque. Quum duritas ista, quam externe laeva parte supra umbilicum sensimus, haudqua-

quam responderet situi dorsi infantis praejacentis, conjiciebamus genitum iri gemellos, at, quamvis magna adhibita opera, cordis palpitationem infantis praejacentis nulla conditione poteramus reperire. A die XXIX mane usque ad diem XXX mane valde inquieta et sollicita erat parturiens et inquam suam jactando movendoque demonstravit; siti magna laborabat, ejiciebat pluries vomitu assumptos cibos bilemque, et doloribus acerrimis quidem, neque tamen multum valentibus, tarde admodum lenteque propulsae sunt infantis clunes usque ad exitum pelvis et, intra hoc idem tempus, clunes rotationibus reiteratis ex prima obliqua diametro in rectam et in secundam diametrum obliquam vertebantur; ipso in exitu pelvis haerebant in recta diametro cum inclinatione quadam in secundam diametrum obliquam, apice ossis coccygis in laevam partem, paulumque in partem anteriorem directa. Dolores ex partu omnino sunt debiles facti. Ut igitur aufererentur dolores, porrecti a nobis sunt parturienti quinque pulveres ex secali cornuto, quisque eorum X granorum, quarta quaque horae parte unus; sub undecimam fere et dimidiam horam ante meridiem, dolores admodum sunt facti vehementes, continui quidem at parum tamen efficaces; apparebant quoque sanguinis congestiones ad caput, facies parturientis admodum rubefiebat, intumescebant labra genaeque, splendidus evadebat oculus, obtusum erat caput dolebatque vehementer, pulsus acceleratus durusque. Venae sectio hoc in casu a nobis instituta est atque jam eodem tempore, quo sanguis demittitur, capitis isti dolores valde sunt mitigati, quo facto quieta magis et tranquillior fiebat parturiens. Quum autem, duabus vix horis praeter-

lapis, status aegrotae ad summam accederet prioris illius similitudinem, venaesectione rursus facta, idem, quod antea, momentaneum aegrotae levamen est observatum. At brevi tempore praeterito, rursus anxietas ista et sollicitudo valde aucta est, quo haud parum infirmata exhaustaque, acriter ut partus tandem finiretur poposcit aegrota; huc accedebat, uti ex genitalibus multum emitteretur meconii. Imposita igitur aegrota in lectulum Sieboldianum, P. U. Walter ad extractionem aggredi non dubitavit: digiti indices utriusque manus ad regiones inguinales applicati et ita tractus est infans, quae tamen agendi ratio frustra ei adhibita est; namque sicuti usque ad regionem umbilicalem extrahi infans potuit, ita, quominus longius extraheretur magnum aderat impedimentum; quo animadverso, quo facilius redderetur extractio, laevus pes, proxime ille quidem situs ad clunes, funiculo umbilicali circumvolutus, est expeditus, ut clunium ambitus diminueretur; et dexter etiam pes, quamvis labore paulo majore, est tamen evolutus; quod quamquam fecerat, infantem tamen magis deorsum trahere nulla conditione potuit, ne vi quidem adhibita. Hinc igitur manifestum profecto erat, ipso in utero impedimentum fuisse vix superabile. Pedes, quos jam extraxerat, habebant illi quidem digitos in laevam et posticam partem conversos; Walter, dextra manu per vaginam in uterum immissa, supra pelvis introitum caput secundi infantis ad pectus prioris adpressum invenit; caput obductum erat ovi velamentis, atque in capite sagittalem suturam, directam transverse et in partem anteriorem, digitorum ope sentire potuit; utrumque brachium, ex quibus dexterius transverse jacebat supra caput infantis secundi,

sine ullo impedimento est evolutum. Frustra Walter, ut caput vel in laevam partem, vel in superiorem amoveret, omni modo enisus est: quum enim caput incuneatum esset ad pelvim, non facile fieri potuit, ut vel caput ipsum demoveretur, vel alter infantium extraheretur. His autem, quum fatigata jam esset et defessa dextra manus, operator laeva manu immissa, secundum infantis dorsum progressus, cervicem ejus est adsequutus et, digitis manus supra humeros infantis impositis, quamvis extrahere foetum studeret, non tamen proficere quidquam potuit; nunc autem in utero contractiones enatae sunt vehementes, quibus imminuta sunt haud parum et robur et sensus manus, in utero versantis. Quae cum facta essent rursus operator in uterum dexteram manum inferebat, statimque dirupit alterius infantis vesicam; tum vero postquam manum usque ad prioris infantis faciem protulit digitosque in os immisit, trahere quidem conatus est, at omnino sine successu, dum tandem altius quoque manum in uterum introductam in cranium prioris infantis imposuit, apprehendit deinde hujus cranium et capite alterius infantis simul dorso manus in laevam partem remoto, totum infantem sine ullis difficultatibus extraxit ex genitalibus. Infans, hoc modo extractus, integer quidem erat et inviolatus, at mortuus tamen, quippe qui, uti vero est simillimum, jam ipsius operationis tempore manus pressione vita privaretur, quum dum extrahitur, funiculi umbilicalis pulsus animadverterentur et motiones adhuc paucae pedum et brachiorum cernerentur. Dextra pars faciei, colli et pectoris, nec non dexterum brachium, propter pressionem, quam caput alterius infantis exercuerat, livido erant colore praedita.

Alterum deinde infantem qui, post extractionem prioris foetus, ad pelvim jacebat occipite praevio, dolores ex partu mitiores haud parum deorsum in pelvim detrudebant; postea autem, auctis jam et crescentibus doloribus, capite tamen infantis supra exitum ipsum pelvis haerente, congestiones apparebant ad caput; mater ipsa, fatigata admodum defessaque, ut finis imponeretur partui admodum rogavit. Walter, adhibita minore forcipe Böeriana, tractionibus quatuor efficit, ut caput exsolveretur sani infantis. Et erat hic infans, ut prior, sexus virilis, major aliquanto quam ille, in capite vestigia levia quaedam gestabat, impressa illa quidem forcipis brachiis, majora autem ab ipso priore infante profecta: totum fere latus dexterum cranii et faciei lividi erat coloris, labium superius tumidum. Placentae, quae, hora demum dimidia elapsa, ex vagina provenere, erant separatae. Caeterum secundum normam prospere ac feliciter decurrit puerperium.

Haec igitur mirabilis implicatio infantium hoc quidem in casu, eo videtur exorta esse, quod clunes alterius infantium, praeter caput alterius descenderant; nam in exploratione ejusdem mulieris, quae, graviditatis tempore interdum institutum nostrum frequentabat, decem diebus ante ipsum partum, praejacere caput per vaginae fornicem sentiebamus, paucis diebus transactis autem non caput amplius, sed alia quaedam pars infantilis eaque minor praevia erat.

Casum etiam huicce, quem modo descripsimus, simillimum W. F. Irwin *) descripsit; quo quidem in casu

*) F. E. Meißner's Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts 2c
4r Theil. Leipzig 1833. p. 261.

caput alterius infantis ita incuneatum est ope colli alterius in pelvim, ut hac re impediretur partus. Prior quidem infans, extractus iste quidem a clunibus, usque ad umbilicum est editus, et hoc modo manebat, facie versa ad laevum acetabulum et occipite ad dextram symphysin sacroiliacam matris converso positus. Hoc igitur in situ quum haereret infans, usus internus secalis cornuti, in dosi unius drachmae, uterum spasmodice contractum ad novos dolores ad partum excitandos nullo modo promovere potuit, et ne manibus quidem ullo modo corpus infantile potuit promoveri, praeterquam quod, magna adhibita opera, deducebantur brachia. Quum autem tres, qui praesto erant, partus adjutores, qui caput infantis in pelvi jacens sentiebant, perforationem instituissent; tum demum caput infantis illius ex parte in lucem emissi, intactum evolutum est.

Alterum etiam casum, nostro similem, narravit Thom. Ferguson *): mulierem iterum parturientem, cujus optime conformata fuerit pelvis, gemellos tulisse, et quum prior infantium a pedibus usque ad umbilicum in lucem esset editus, repente haesisse partum et ne arte quidem adhibita amplius adjuvari potuisse; tum vero exploratione instituta, hoc est inventum: caput secundi infantis in pelvim jam intravisse; quo quidem reperto, conatus est medicus removere hoc alterius caput, qui tamen conatus successum haudquaquam habebat; neque enim caput istud est remotum, sed potius descendit profundius; ad postremum igitur, quum F., quia prior infantium signa vitae ediderat aperta, perforationem sibi non

*) Meißner. Ibid. p. 262.

instituendam fore censeret, secundus infans ipsa natura adjuvante per sese in lucem est proditus vivus; quo facto prior tandem, qui, dum haec geruntur, demortuus erat, sine ulla difficultate est expulsus.

Tertius gemellorum partus, extractio ad pedes prioris infantium.

Partum hunc in ea muliere mihi oblata est occasio observandi, in qua, uti jam antea injeci mentionem, ipso graviditatis tempore, geminos natum iri jam antea cogoveram. Haec igitur femina primos ex partu dolores sentiebat septimo die mensis Octobris; obstetrix, quum internam fecisset explorationem, invenit adhuc uteri os, haud parum in partem posticam pelvis conversum, alte admodum jacere, difficileque esse ad tangendum; quum deinde die sequenti noctu, hora fere prima, aquae defluisissent, obstetrix iterum exploratione instituta interna, pedes praejacere sensit. P. U. Walter mecum ad parturientem venit hora fere quarta ante meridiem; externa, quam fecimus, exploratio ab iis, quae antea videramus, nihil diversi habebat; id tantum in utraque auscultatione abdominis differebat, quod in altera, utroque a latere in utero ictus cordis, qui audiri potuere, valde frequentiam suam commutaverant: jam enim laeva a parte numerari poterant in sexagesima quaque horae parte ictus 120, a dextera rursus 128. In interna autem exploratione genitalia molliter laxata inventa sunt, in ipsa vagina dextrorsum pes jacebat dexterior, digitis in anteriorem laevamque partem conversis; laevus pes altius etiam jacebat magisque ad laevam partem versus; clunes in vicinitate versabantur dextra et postica pelvis parte;

uteri os omnino erat apertum. Hora deinde undecima fere et dimidia mane, postquam magnopere sese moverat infans, multum meconii ejiciebat; rursus cum venissemus, internam explorationem instituimus, haec autem exploratio vaginam demonstravit plenam meconii, dexterum pedem profunde jacere et magnum laqueum funiculi umbilicalis, lente pulsum edentis, procidisse tum sensimus; externe autem, parte dexteriore, cordis palpitationem audiri potuimus nullam, ita ut valde, viveret ne adhuc infans, dubitaremus. Et tum quidem Walter, extractionem subeundam esse ratus, parturientem in lectulum transversum imposuit; quod quum fecisset, cum facilitate pedes utroque infantis protrahebat; quum autem dorsum infantis dextra et postica in parte versaretur, emendare operator situm infantis voluit, quem quidem ad finem quo facilius perveniret, studuit ille infantem pedibus, quorum digiti conversi erant in sinistram anterioremque partem, circum axem infantis longitudinalem in laevam et posteriorem partem convertere; haec tamen agendi ratio, quamvis bis esset reiterata, nulla tamen conditione successit. Quod quum vidisset, Walter convertere infantem dextrorsum conatus est; quod quum facillime factum esset, infantis corpus, postquam circa longitudinalem axem circumque circulum dimidium conversum erat, dorso jam in anticam et laevam partem vergit. Adjuvante nunc etiam nixu parturientis, extractio corporis infantilis facta illa quidem est usque ad humeros sine ulla difficultate, et brachia quoque utraque non minus sine ullo negotio sunt exsoluta. Caput autem, quum quamvis bis operator experiretur, manibus tamen solvi non potuisset, forceps Böeriana est adhibita et ita caput ope tractionis unius facile

explicitum; qua tamen in re ruptura quaedam acciderat perinaei, at laevis illa parvique momenti. Infans colore erat pallido, membris flaccidis, dependebat maxilla inferior, neque ulla motio vel extremitatum est observata, vel pulsatio ulla funiculi umbilicalis cordisque; quum autem prope genitalia matris impositus esset in balneum tepidum, coepit quidem infans paulatim, at parum tamen extremitates suas movere; spiritum etiam traxit, vagire incepit, primo quidem parva voce, mox tamen majore; respiratio altior et completior evasit, ruberque corporis color. Quum autem mox rursus parturientis explorationem fecissemus, facile alterius infantis vela-menta persentiscere potuimus, per eamque caput primo situ normali; externe cordis palpitatio potuit etiam audiri. Duodecim fere horis elapsis sequutus est partus alterius infantis, factus ille quidem ab ipsa natura solummodo. Partus secundinarum mox sequutus est, in quibus disjunctae omnino inter sese erant utraeque placentae. Prior infantium, quae erat puella, pondo erat VII ℥. alter sexus virilis X ℥. ponderis soliti.

In consideranda prioris infantis extractione non silentio videtur fuisse praetereundum, quam fuerit grave in convertendo infante circum longitudinalem axem, eo nempe consilio, ut situm ejus emendaremus, naturae ipsius nutum accurate observare; namque si conatum pertinaciter persequutus fuisset operator, infantem, circa axem ejus longitudinalem, in laevam posticamque partem matris vertendi, quae quidem brevior via erat, qua dorsum in partem anteriorem verteremus, vix felicem exitum hoc propositum habuisset et fuisset fortasse necessarium, uti infantem abdomine in anticam partem converso

extrahere studeremus; quod si fecissemus, multo profecto major fuisset difficultas in explicandis brachiis, quam nunc fuit; et dubium non fuisset, quin infantis vita ad exitum fuerit perducta. Hoc quidem in casu erat profecto caussa hujusce phaenomeni posita in situ alterius infantis, adhuc in utero jacentis. At similia tamen edoctus est P. U. Walter in extractione a pedibus suscepta in partibus simplicibus.*)

Brachium est praevium prope caput; partus adjuvante ipsa natura feliciter terminatur. 1836 anno.

M., quae mulier primum parturiens instructa erat pelvi satis regulari, primos ex partu dolores vesperi die Martis mensis XXIV sentire coepit. Abdomen hujusce feminae aliquot pollices extensum erat super ipsum umbilicum, dextra parte ab umbilico major quaedam durities potuit persentisci, ibidem audiri potuit cordis foetus palpitatio; interna deinde exploratione instituta rima pudendorum haibat; laxa erat vagina et mollis, uteri os cum vestigiis quibusdam vaginalis portiois pollicem dimidium apertum patebat, inferius segmentum uteri in media erat pelvis apertura, per uteri os facile ovi velamenta sentiebantur, et supra haec rursus pedes suspensi erant, digitis in posteriorem sinistramque partem matris conversis, quatenus nempe haec, quia admodum erant mobiles pedes, statuere nobis licebat. Mox autem, quum aliquot horis praeterlapsis, instituta a nobis esset exploratio, unam tantummodo partem praeja-

*) P. U. Walter von der Wendung auf die Füße bei vorgefallenem Arm. Riga und Dorpat 1834. S. 94.

cere sensimus, quae pars habebatur nobis pro genu; postea autem, quum nox jam appetivisset, in exploratione interna vesicae pars praejacens a parte infantis libera et vacua esse videbatur. Mane deinde, die insequenti exploratione repetita dubium non erat, quin praevium jaceret caput; neque vero longum per temporis spatium caput praevium remanebat: jam paulo post in vesica nihil aliud nisi pulsus funiculi umbilicalis poterat persentisci; dolores ex partu admodum lenes erant parvique; uteri os immutatum omnino manebat. Hoc igitur in statu aegrota duos per dies continuos remanebat; quibus quum iterum iterumque facta esset exploratio, aliud quid nobis est inventum. Quae dum geruntur, dolores omnino remittunt et uteri os aliquo modo rursus contrahitur. Sexto demum Aprilis mensis die dolores isti rursus apparebant, quo facto, paulo post aquae defluerunt. Uteri ore paulatim atque pedetentim dilatato, caput praevium esse sentiebamus; hora autem una vix praeterierat, quum caput rursus recesserat et extremitas quaedam praejacebat; nec ita multo post, quum uteri os pollicem unum et dimidium esset dilatatum, rursus caput in priorem situm revertit et quidem situm primum occipite praevio, at simul juxta caput transverse trans dexterum os bregmatis funiculus umbilicalis, cujus pulsus poterant distincte sentiri, jacere cernebatur; magis ad mediam lineam pelvis versus situm erat brachium dextrum, ab laeva synostose puboiliaca exiens. Quum vero, uteri ore magis dilatato, altius descenderet caput, funiculus umbilicalis paululum intensus altius adscendit; manus autem in eo, quo antea fuerat situ remansit. Dolores deinde, quum haud parum aucti essent, caput

simul cum manu in lucem est editum; manus admodum tumida erat et coloris lividi, ipse umbilicalis funiculus circum infantis collum circumvolutus. Infans, qui natus erat hoc modo, fuit quidem vivus at parvus tamen tenuisque: recta capitis diameter erat pollicum trium.

Neque igitur supervacuum videtur esse, quaerere, qua potissimum in re posita fuerit caussa, cur tam frequenter mutaretur in utero infantis situs, tum quoque, quum effluerant jam aquae? — mea quidem uti fert opinio, sita erat in uteri natura torpida et parvitate infantis. Semel etiam occasionem habuimus talem casum observandi in quo ipso initio partus per vesicam perspicue pedes primo situ sentiremus; postea autem ita sese intendere coepisset vesica, ut nihil partium praejacentium posset persentisci. Hoc in casu, postquam dirupta est vesica, praejacebat caput situ quarto.

Prolapsus funiculi umbilicalis juxta caput, versio in pedes; extractio.

K., cujus quidem feminae mentio est injecta jam supra in observationibus stethoscopicis, instructa illa quidem regulari pelvis structura, quum duodequingenta annos nata, nonum esset partura, primos dolores ad partum die Maii mensis quinto percipere coepit. Illis igitur doloribus, ut uteri os internum patefieret, quum esset effectum, digitus, exploratione suscepta per canallem non brevem progressus vaginalis portionis, multum in posticam partem versae, caput alte jacens et mobile admodum sentire potuit. Sub horam sextam diei VIII mensis Maii, mane, continui magis dolores evaserunt, et interna exploratione facta vaginalem portionem paulo breviorum, os uteri magis apertum invenimus, quam fue-

rant antea; vesica oppleri coepta est et caput clare cernebatur cum sutura sagittali in secunda diametro obliqua, parte anteriore autem dexteraque persentisci etiam poterat minor fontanella, at valde tamen alte; externa exploratione facta fundum uteri inter cordis scrobiculum et umbilicum versari; dextra autem parte ab umbilico in fundo uteri clunes infantis sentiebamus et ab hoc inde loco in inferiorem partem facillime decursum dorsum persequi nobis licebat; cordis palpitatione dexteriore parte ab umbilico perspicua erat. Mane autem hora fere undecima, dextra ab umbilico parte, minores quaedam partes infantiles sentiri potuere, neque ibi amplius cordis palpitationem audire licebat; id quod utrumque mutatum interim fuisse situm infantis clare nobis demonstravit; interna deinde, quam fecimus, exploratio uteri os ovale ostendit, pollices unum et dimidium apertum; vesicam deinde admodum intensam inveniebamus, neque ullo modo persentiscere potuimus caput. Mox autem hora fere quinta post meridiem os uteri omnino erat apertum, vesica fortiter intensa, stabat paulo inferius; parte anteriore supra arcum pubis cerni potuit per vesicam caput cum sutura sagittali in secunda obliqua diametro, et parte postica ad os sacrum versus in vesica parva nobis pars est animadversa; quae tamen, quum exploranti digito cederet, qualis esset, dignosci nullo modo potuit.

Ab hoc inde tempore dolores remittebant paululum atque ita usque ad horam nonam fere vespertinam remanebant, et nunc tandem vesica dirupta est et aquae in quantitate haud mediocri effluerunt. Exploratione instituta caput supra pelvis introitum positum esse sen-

tiebatur cum sagittali sutura in diametro secunda obliqua; juxta caput observatus etiam a nobis laqueus pulsantis umbilicalis funiculi, tres fere pollices longus, prolapsus ille quidem ab postica dextraque parte pelvis. Contractiones uteri, quae quidem, quum vix dirupta esset vesica mox scquebantur, imminuebant haud parum uteri ambitum. Ii autem conatus, quibus funiculum prolapsum ope duorum digitorum vel etiam totius manus reponere et contractione uteri durante retinere studuimus, nullo modo felicem eventum habuere. Quum autem caput mobile supra pelvis introitum positum esset ad versionem foetus in pedes agressus est Walter. Exploratione nunc accurate facta caput foetus in situ quarto occipite praevio positum invenit; pedes itaque quum in antica et dextra parte versarentur, ille sinistram manum in uterum immisit, eaque usque ad pedes progressus, dexterum infantis pedem statim deduxit; qui, quum versio ab illo pede succedere non velle videretur, magna cum difficultate ope laquei affixus est, quod quum factum esset, dum laquens adtrahitur, dextera manus in uterum est introducta; caput deinde hac manu inde a pelvi ad fundum uteri propulsum sursus, et versio ista ex sententia ad exitum perducta est. Ipse infans, quum digiti pedis detracti in sinistram posticamque partem conversi essent, in situ erat positus admodum commodo. Quum vero tempore operationis funiculus umbilicalis paululum esset pressus, Walter, quia ne morti succumberet infans admodum verebatur, coactum sese vidit, ut susciperet statim extractionem. Tractione vero ab altero pedum facta haudquaquam ut ipsa extractio succederet effici ei potuit; quod quum vidisset, rursus operator

sinistram manum in uterum immisit invenitque clunes foetus fere stare in obliqua pelvis diametro prima, laevamque coxam in parte dextra in linea innominata inniti, hanc igitur ob caussam eadem qua antea manu in partem anteriorem processit trans dorsum infantis, laevamque coxam a linea innominata depulsit indeque in regionem inguinalem duo digiti immissi sinistram etiam pedem deduxere. Hoc quum factum esset truncus cum brachiis, lateribus adpositis cum facilitate est extractus, quo facto, caput in secundam obliquam diametrum in pelvim intravit cum inclinatione ad diametrum transversam, et dextera manu ita est directum ut facies ad cavitatem ossis sacri jaceret; ut vero caput, quum tentaret operator manibus explicare, non tamen provenit, statim decrevit forcipem applicare; quo quum duas tractiones fecisset facile caput in lucem proferebatur. Infans, puer maximus, initio asphycticus erat, at mox tamen, quum inter femora matris in balneum tepidum impositum esset infans, quumque frigida aqua inspersa esset regioni epigastricae et plantae pedum pectine setaceo fricatae fuissent, paulo post spiritus irregulariter trahi coeptus est, sensim autem complete ducebatur; tum vero quarta parte horae vix exacta, quum pulsatio funiculi umbilicalis sentiri desiisset, infans a matre sua disjunctus est. Perinaeum integrum quidem erat, at ita tamen laxatum ut ruptura eaque haud mediocris adesse videretur. Nec ita multo post, quum internam explorationem fecissemus, placenta adhuc in utero versabatur, in quo etiam spasmus apparuit: uterus alte adscendit dextra parte usque ad regionem hepatis, et in corpore ejus distincte per abdominis tegumenta stricturam animad-

vertere poteramus, qua dividebatur ille in superiorem et inferiorem partem. Hoc in casu tepida cataplasmata in usum vocata; quo facto spasmus mitigatus est ac remisit et placenta quae in vaginam jam descenderat statim est remota. — Puerperium normale.

Nos autem si ejus propositi, quod G. A. Michaelis *) tulit de umbilicalis funiculi repositione, quodque quum in sagacissimis de statu inferioris segmenti uteri cognitionibus in ipso principio tertiae periodi partus, tum in prosperrimis observationibus nititur, majorem dignaremur habere rationem, haud dubium est, quin multo simus futuri feliciores in hac operandi ratione, quae, quamquam sit mitissima, at saepius tamen ad nostra usque tempora male processit.

Spasmus, hoc in casu consideratus, clepsammidi-formis in ipso utero sedem suam habuit; perspicue enim a loco inde stricturae magis in inferiorem partem hujusce organi dilatationem distinguere potuimus; uteri os in exploratione interna facile potuimus assequi. Quod quum ita sit, erat profecto ille non spasmus vaginae, quem quidem W. I. Schmidt **) semper consuevit statuere in clepsammidiformibus placentae incarcerationibus. At in vaginae spasms, quos mihi contemplandi occasio non deerat, locus profecto uteri oris altissime siti tamquam strictura fallax uteri per abdominis tegumenta

*) Ej. *Abhandlungen aus dem Gebiete der Geburtshülfe*. Kiel. 1833. S. 263.

**) Ej. *Gesammelte obstetricische Schriften mit Zusätzen und einem Anhang über den herrschenden Lehrbegriffe von Einsackung des Mutterkuchens*. Wien. 1820.

potest persentisci, ab hoc tamen loco inferius magis nulla sequitur dilatio, quo accedit uti vagina plicis careat extensaque sit et uteri os, quippe quod alte sit positum, digito attingi nequeat.

Reiterata forcipis applicatio in quarto situ praevio occipite; conjugata introitus pelvis coarctata.

Ad A. quandam, quae femina, triginta fere annorum, corporis structurae mediae, tertium parturiebat, quaeque, sine ulla difficultate priores partus sustinuerat, Walter vesperante jam die XI mensis Novembris anni 1835 advocatus est. Habebat illa jam duodequingenta per horas dolores ex partu, aquaque quinque diebus antea, quam illi intrarent, defluxere. Caput foetus, quamvis vehementes essent dolores ex partu tamen in apertura pelvis superiore fixum jacebat. Hoc autem die dolores ad partum, qui facti jam erant mitiores, sensim atque paulatim omnino remisserunt. Medicus quidam, qui erat advocatus in auxilium, forcipem quidem ad caput admovit; at vidit eam delabi post tres vel quatuor tractiones; repetivit saepius medicus applicationem forcipis nunc Sieboldianae nunc Osianderianae, alternatim, cum altero quodam medico qui praesto erat, at semper tamen idem quod antea, evenire videbant. Walter, simul atque advenit, exploravit parturientem invenitque capitis situm cum sutura sagittali in secunda diametro obliqua proxime ad diametrum rectam, dum fontanella minor posita erat ad posticam partem versus.

Quamquam deinde applicavit forcipem Ritgenianam, paullo post tamen recipere eam coactus est, quia claustrum spira quadam instructum, cum longius distabant

cochlearia, manubriis compressis solvebatur; quod quum accidisset, forcipem Osianderi Walter admovere constituit, at quanquam forceps bene applicata erat et rite adiacebat, irritae tamen tractiones fuerunt, quas sexaginta fere alternatim cum altero medico iustituerat ille; namque nihil fere hisce tractionibus validissimis aliud poterat effici, nisi ut caput unum dimidium pollicem traheretur deorsum. Quae dum geruntur, ipsa parturiens, vehementissimis doloribus ex partu cruciata, admodum videbatur esse exhausta, quod quum vidissent, decreverunt medici operatione hac omissa expectare meliorem capitis rotationem ab ipsa natura effectam, ut, hoc si factum fuerit, rursus applicaretur forceps. Parturienti porrectae sunt duae doses pulveris Doweri et post haec secale cornutum secunda quaque hora sumendum. Die insequenti nihil de capitis situ erat commutatum, parturiens quamquam omnino fere relaxata erat ac refecta, tamen summam habuit sensibilitatem abdominis. Instituta hanc ob rem est venaesectio unc. X; dolores totam per noctem perduraverunt. Praescriptum est secale cornutum, conjunctum illud quidem cum nitro. Tertio die caput senserunt profundius multo descendisse et stare cum sagittali sutura in secunda diametro obliqua; Walter, aegrotam in lectulo transversali posita, forcipem Sieboldianam applicavit; qua quum quindecim tractiones fecisset, caput tandem evolutum est, in situ quidem quarto occipite praevio. Infans mortuus jam erat summaque magnitudine corporis. Partus secundinarum mox sequebatur. Statim post operationem conjugatam pelvis manu metiens, Walter hanc tres pollices et quadrantem longam reperit. Aegrotam ipsa admodum confecta erat atque fatigata;

neque multo post vires haud parum collabi coeperunt; pulsus tardus fiebat parvusque, abdomen admodum erat sensibile, quo accedebat, quod per vomitum materiae quaedam viridis coloris eaeque amarae eiciebantur. Nox quum appeteret, singultus quoque intravit, abdomen tumidum erat et inflatum, facies pallida et collapsa, extremitates valde frigidae et die insequenti mane hora fere quinta exspiravit aegrotata.

Quum autem, undetriginta horis postquam mortua erat aegrotata praeterlapsis, sectionem fecissemus; abdomen admodum est inventum tumidum, valde intensum, intestina tenuia aëre cernebantur extensa, in cavitate peritoneae paululum fuscis humoris; ipsum peritoneum grisei erat coloris, vasisque praeditum injectis. In regione fere umbilicali visa nobis est conglutinatio quaedam peritoneae cum omento majore materia plastica, in eodem omnino loco, et viscera etiam inter sese conglutinata apparebant. Anterior superficies ventriculi colorem induerat roseum, peritoneae parietes paululum condensati erant; splen emphysematose intumuerat. Ipse uterus omni vacabat vestigio ullius affectionis.

Applicatio forcipis ob coarctatum pelvis exitum.

G., quae mulier XXIII annorum primum erat partura, habitu florenti, pelvis structura bona instructa, praeterquam quod angustatus erat recta diameter exitus pelvis, primos dolores ex partu vesperi die Octobris mensis quinto sentire coepit. Ipsi dolores, quamquam non ita erant vehementes, tamen ipso in principio aquae defluerunt. Uteri os non nisi tres lineas erat apertum et per hocce praevium caput persentiscere potuimus, sagittali cum sutura in prima diametro obliqua,

dum minor fontanella parte postica et dextera sita sentiebatur; externe dextera parte ab umbilico cordis palpitatio optime potuit percipi. Die postero mensis Octobris sexto, uteri os unum pollicem dilatatum erat; simulque parturienti sanguinis ad caput congestiones acciderunt, ipsa aegrotata admodum inquieta esse inceperat, facies videbatur rubefacta admodum atque calida; pulsus acceleratus ita, ut inter sexagesimam quamque horae partem centum et viginti ictus numerarentur; quae omnia dum fiunt, dolores ex partu lenes evaserant.

Hanc igitur ob causam instituta est nobis venae sectio unc. X, qua facta, haud parvum attulimus aegrotatae levamentum, pulsus igitur octogies intra sexagesimam horae partem micabat, doloresque mox augeri atque crescere coeperunt. Sub tempus vespertinum uteri os omnino apertum erat; caput profundius in pelvim descendit, paullumque erat tumidum, et capitis tegumenta plicas formabant. Hora fere secunda media nocte sentiri jam potuit sagittalis sutura in transversa diametro pelvis, neque ita multo post vertit sese haec ad secundam diametrum obliquam, ita ut minor fontanella jam sita esset parte dextra et anteriore. Hoc tempore, quum mitigarentur rursus dolores ex partu, quattuor a nobis pulveres Boracis sunt praescripti, cum cortice Cinnamomi, quorum quidem pulverum unus quaque hora esset sumendus. Jam vero, hoc facto, uteri contractiones caput usque ad ipsum exitum pelvis depulerunt, ita ut, dum adsunt dolores ex partu, capitis tumor extra genitalia excederet, sed simulatque dolores remiserunt, ille etiam statim recessit; eadem erat ratio usque ad quartam fere horam matutinam. Instituta stethoscopia ausculta-

tione debilior multo, quam antea fuerat, cordis palpitatio audita nobis est, ita ut dubitatio nobis oreretur esset ne amplius cunctandum. Est igitur parturiens lectulo Sieboldiano imposita; quod quum factum esset, Walter parvam forcipem Böerianam applicavit, qua vix quattuor factae erant tractiones, quum brevi evolutum est caput; corpus ipsum, quia cunctabatur primum provenire pariter mox arte extractum est. Infans hoc modo editus in lucem primo quidem asphycticus erat, mox tamen in vitam est revocatus. Caput infantis haud parum cernebatur compressum, margines ossis frontis atque occipitis infra ossa parietalia promotae erant, in capite vestigium quoddam remanserat, impressum illud quidem forcipe ipso. Capitis tumor qui haud parvae erat magnitudinis, parte postica sedebat, mox tamen paulatim disparuit, neque vero omnino. Infans primis quidem duobus diebus postquam natus erat, affectionem habebat oculorum blenorrhoeicam, quod tamen malum sine ulla difficultate frigidis fomentationibus sublatum est; postea apparuit quoque bronchiorum catarrhalis quaedam affectio, quae tamen haud minus evanuit post usum vini Antimonii in dosibus parvis. Utrique et mater et infans die ejusdem mensis trigesimo ex instituto nostro demissi.

Paucis diebus post rursus in institutum idem accepta est eadem femina, quippe quae laboraret genu alterius affectione inflammatoria; quod malum dum curatur, formatum est apud infantem in dextera parte parietali magnus quidem abscessus, qui fluctuabat, apertus erat magnamque copiam puris emittebat, die postero per sese non minor copia puris defluxit; quo facto sese cutis ca-

pitis ad cranium applicavit et ipse infans omnino nobis validus esse videbatur usque ad diem Novembris mensis XXIII, at hujus diei hora fere secunda post meridiana convulsiones repente infāntem adortae fuerunt. Hora fere quinta ejusdem diei convulsiones istae admodum vehementes esse videbantur; facies parvuli rubefiebat, tumida evadebat, venae capitis sanguine repletae erant; major fontanella edita erat et elastica; hanc ad affectionem tollendam duae hirudines pone aures applicantur, in capite frigidae fomentationes adhibitae sunt; interne Calomel est in usum vocatum, quadrantem grani pro dosi, secunda quaque hora sumendum. At nihilosecius convulsiones nullo modo remiserunt, quo factum est, ut postero die hora fere quinta matutina infans supremum spiritum exhalaret.

Sectione deinde undetrigesima hora postquam mortuus erat infans, instituta, pulmones normales omnino inventi, glandula Thymus parvula, vasa sanguinea cordis nimis impleta, foramen ovale patefactum, ductus Botalli admodum coarctatus. Hepar normale erat, vesica fellea admodum magna et bile impleta pituitosa, flavo colore; membrana interna vesicae felleae maculis rubris inspersa, quae ope lentis observatae palvula quaedam vascula nobis ostenderunt. Canalis intestinalis nihil habebat abnormale, in intestinis tenuibus nonnullae glandulae peyerianae admodum excultae videbantur, renes admodum magni, quorum quidem sinisterior pondo erat unc. 2 dexterior autem non multo erat levior. Post tegumenta calvaria separata in loco abscessus in posteriore et inferiore parte dexterioris ossis bregmatis in quo dextrimum brachium forcipis situm fuerat, os erat necroticum;

pars haec necrotica erat oblonga et tenuior infra, decem fere lineas longa et lata fere lineas quattuor, friabilis admodum erat, a reliqua ossium massa libera et non minus sejuncta a dura matre, quae quidem hoc ipso in loco neque spum naturam, neque colorem suum ullo modo commutaverat. Post separatam duram matrem cernebatur a nobis inter lamellos membranae arachnoideae arte admodum cum his conjunctum, subflavum quoddam exsudatum lymphaticum, crassum illud quidem lineam dimidiam usque ad lineam unam; hoc igitur exsudatum accuratissime conglutinavit gyros cerebri et summa tantum difficultate ab hisce potuit secerni. In basi autem cerebri et in ventriculis cernebatur quaedam sanies sanguinolenta, cujus quantitas erat fere unc. $\frac{1}{2}$. In cerebro deinde puncta et striae vasorum persectorum multo a nobis inventae sunt frequentiores, quam solito videmus, et lobo anteriore dextrae hemisphaerae abscessus quidam repertus est, qui erat ejusdem fere magnitudinis atque est castanea, quique pus quoddam continebat odore carens, colore flavo viridi, densum; quantitate 2 dr.; hic igitur abscessus perspicue cerni potuit circumdatus fuisse tenui quadam rubraque membrana, quae nullo negotio potuit desolvi. Lentis ope considerata haec membrana rete quoddam vasorum ante oculos nobis posuit in eoque maculas rubras, quae videbantur quasi penicillo esse factae; eandem omnino speciem prae sese ferebat etiam cavitas abscessus hujusce, remota ipsa capsula.

Hic igitur quae erat ratio necroseos et hujusce encephalitis? — necroticus locus omnino ei respondebat loco, cui adjacuerat forcipis brachium; erat igitur

forceps in caussa? num itaque haecce non erat applicanda? quamdiu tandem erat cunctandum? — an justo diutius duraverat fortasse in capite foetus pressio pelvis, (cujus exitus haud dubie erat coarctatus) atque cranium reddiderat proclivius ad hostilem forcipis impetum accipiendum?

Forcipsis applicatio ob aperturam pelvis tertiam atque inferiorem modice coarctatam, anno 1838.

M. quae, annos fere nata viginti, constitutionis robustae, primum erat partum editura, tempore vespertino die Aprilis XIV in nostrum institutum est recepta. Jam aliquot horis antea sentiri ab ea coepta erant dolores ex partu. Externa igitur exploratione statim suscepta fundum uteri sentire poteramus inter cordis scrobiculum versari et inter umbilicum; laeva rursus parte ab umbilico infantis dorsum putabamus jacere, eodem in loco cordis quoque foetus palpitationem nobis licebat audire, micantem illam quidem in sexagesima quavis horae parte centies trigesies bis. Vagina admodum adhuc erat angusta, parum laxata, portio vaginalis uteri erat illa quidem posita supra pelvis aperturam mediam, multum in partem posteriorem et laevam vergens, laxata, rotunda, unam lineam et dimidiam longa, internum uteri os vix ad digiti introductionem apertum atque per hoc persentiscere nobis licebat caput suturamque sagittalem in prima diametro obliqua. Dolores nocte admodum erant vehementes, quo fiebat ut unum amplius pollicem uteri os esset patet factum; margines ejus erant tenuissimae; vesica haud parum intensa est et dissiluit, uteri ore omnino aperto,

tertia fere hora post meridiem. Caput, quod quidem in media erat positum pelvis apertura, vehementibus ex partu doloribus vesperi jam in tertiam pelvis aperturam detrusum est et jam nunc sutura sagittalis diametro rectae appropinquare coepit; ossa hregmatis admodum alterum sub alterum erant trusa, idque omnium maxime in regione fontanellae minoris.

Vesper cum appetivisset, aegrota valde coepit esse inquieta; faciei color evasit intense ruber, caput calefiebat, pulsus apparebat plenus; est itaque venaesectio unc. X instituta et ea haud parva aegrotae levatio allata. Caput autem nullo modo, doloribus ad partum satis vehementibus, profundius motum est, atque tum etiam, quum mitiores evasissent dolores sub noctem, aliquanto altius situm esse reperimus. Quum igitur natura ipsa adjuvante aliquid effici, satis longum per tempus expectassimus, parturiens, tandem in lectulum est imposita Sieboldianum, quo facto parvam applicui Böerianam forcipem; utraque forcipis brachia sine ullo negotio admota et quindecim fere tractionibus factis est tandem caput extractum. Caput postquam editum esset in lucem, faciem suam vertit ad sinisterius femur matris et digito statim postea explorante umbilicalem funiculum dupliciter circum collum infantis circumvolutum invenimus et admodum intensum, hoc igitur forcice persecto, eodem omnino tempore infantile corpus; ope digiti in sinisteriorem axillam introducti facile evolutum nobis est. Infans qui initio asphycticus erat, paulo post, in tepidum balneum impositus, adhibitis inspersionibus frigidis in regionem epigastricam et praecipue saepius reiterata instillatione aetheris acetici, ad vitam est revocatus. Tumor

capitis satis magnus erat, posteriorem partem ossis bregmatis dexteri occupaverat; in regione frontali in latere dextro vestigia leviora forcipis aderant. Perinaei ruptura, quam in angustatione rimae genitalium admodum metuebamus, in laxatis adeo genitalibus unam lineam erat magna. Puerperium secundum normam omnino successit.

Et hic quidem unicus erat casus a me observatus, ubi colli circumvolutio funiculo umbilicali tam erat fortis, ut necesse esset persecari funiculum umbilicalem; namque aliis quidem in casibus hujus generis, qui nobis occurrerunt facile secundum methodum Cel. W. Smith *) potuit relaxari et corpus infantile tum per laqueum penetrare observatum est. Bis etiam accedit, ut in loco funiculi umbilicalis, ubi collum circumvolverat meri nodi animadvertentur, et nunquam quidem hisce in casibus ullum detrimentum vita accepit infantilis. Unus ex hisce nodis eadem omnino forma erat instructus, atque habet in imaginibus obstetriciis Cel. Buschii **).

Brachio prolapso versio in pedes.

Anno fere 1838 die mensis Februarii XI advocatus equidem sum ad feminam quandam parturientem, sex ab nostra urbe milliaria. Haec mulier XXVI annorum, tertia vice gravida, jam duos per dies dolores perceperat et ante horas fere quatuor et viginti aquae defluerunt; dexterum brachium eodem tempore prociderat. Valetudo hujusce feminae admodum erat commoda; abdomen

*) v. Siebold's Journal Bd. VIII Stück 1. p. 272. seq.

**) Theoretisch-pract. Geburtskunde, durch Abbildungen erläutert D. B. G. Busch Taf. XVI Fig. 107.

non sensibile, dolores ex partu omnino regulares cernebantur. Uterus deinde paululum in transversum erat extensus et dextera quidem parte infra umbilicum foetus caput sentiebamus, laeva autem parte pedes; manus dextra et anterior pars brachii extra genitalia versabantur, tumidae et colore livido, vola manus antrorsum erat versa, in partem dexterem pollex. His observatis, imposita aegrota in lectum transversum, volebam equidem versionem in pedes facere secundum methodum prolatum a Clarissimo Deutsch *), et quum abdomen infantile in partem anteriorem esset conversum et pedes in partem sinistram, dexteram meam manum in anticum spatium pelvis introduxi et infantis rotationem feci circum axem longitudinalem a parte anteriore in posteriorem et superiorem, effecturus nempe ut anterior infantis superficies in partem inferiorem moveretur. Et erat quidem successus in hac agendi ratione, at rotatio mihi sine dubio non satis perfecte est instituta, vel forsitan uterus rotatus est simul cum infante, quem arte complectebatur; namque, quum, hac rursus ratione omissa, in eo essem, ut ad latus infantis procederem, infans mihi in eum situm, quem ante tenuerat est revolutus. Hoc igitur experimentum reiterare, quum equidem tiro in obstetricia arte, multum dubitarem, secundum dexterius latus infantis ad clunes sum progressus, inde in partem anteriorem, inveni deinde pedem sinisteriorem eumque mox deduxi et hoc facto infantem in eum situm secundum converti, ut dorsum infantile in partem ante-

*) v. Walter, l. c. p. 51.

riorem et sinistram vergeret; simul cum pede eodem laqueus quidam umbilicalis funiculi procidit, qui tamen non pulsabat. Hac ratione adductus extractionem suscipere decrevi, qua quidem truncus infantis cum brachiis ad latera adjacentibus, sine difficultate est productus. Caput deinde in pelvim processit, facie quidem ad dexteriores synchondrosim conversa, mox regulatum fuit et denique, quum primis institutis conatibus manibus id evolvendi non statim consequutum esset, forcipem applicare volui; hujus igitur forcipis dexterius brachium quum quidem admovissem capiti, hac re tamen activitas uteri est excitata et caput simul cum forcipis brachio mox in lucem est editum. Infans omnino erat mortuus; et experimenta quibus vitam revocare studebamus, erant illa quidem manca admodum et imperfecta.

Puerperium, excepta inflammatoria abdominis affectione ex refrigeratione exorta at brevi tamen fracta, feliciter successit.

Placenta praevia centralis; obturamentorum usus et forcipis applicatio.

Anno 1837 Novembris mensis die quarto, hora post meridiem tertia, ex vico duo miliaria ab urbe nostra abstante, parturiens femina XXXVIII annorum, in institutum obstetricium est advecta. Ultimo mense octavae graviditatis suae, ante dies fere quatuordecim sanguinis ei profluvia ex utero acciderunt, quae tamen non ita erant magna, haec tamen haemorrhagia mox ipsa per sese sedata, saepius quidem reiterata est, paucis autem post diebus remisit usque ad noctem antecedentem, quo quidem tempore rursus idem malum apparuit, idque

tanta cum vehementia, ut parturiens diceretur maximam amisisse sanguinis copiam.

Status aegrotae postquam recepta erat in institutum: aegrotata summo opere erat pallida, facies cernebatur collapsa et extremitates erant frigidissimae, pulsus erat acceleratus, admodum parvus, cordis palpitatio rursus haud parum adhuc erat fortis, in arteria subclavia dextra susurrus follis (Nonnengeräusch) a nobis est auditus, aegrotata etiam saepius proclivitatem quandam habebat ad animi deliquia; quae omnia dum fiunt, regulares quidem neque tamen admodum vehementes erant dolores ex partu. Externa mox exploratione instituta, fundus uteri nobis repertus est trium fere digitorum spatio supra umbilicum, dextera ab parte sentiebatur dorsum infantile, neque tamen ullum aderat vestigium cordis palpitacionis foetus, quamvis saepius auscultatione reiterata. Interna exploratione facta, externa genitalia frigida esse cernebantur, in ipsa vagina animadversae sunt coagulatae quaedam partes sanguineae, uteri os apertum erat unum pollicem et dimidium, margines ejus erant tenues et per os uteri perspicua placentae massa spongiosa, ad sinisteriorem partem versus, placenta, ut nobis tum videbatur, paululum erat tenuior ita ut in vicinitate sinisteriorem ejus marginem versatam fuisse, jure possemus conjicere; per massam placentae, infantile caput praeivium esse sentiebatur cum sutura sagittali in diametro prima obliqua, fontanella minore in posteriorem et dexteram partem conversa. Parturienti acidum Halleri porrectum est et sub horam fere quintam vagina, secundum methodum a Wiegandio commendatam, obturamento quodam obstipata fuit; omnino

enim impleta erat lanugine lintea parvisque compressibus linteis, qui antea aqua frigidiore erant humefacti; femora aegrotae inter sese propius admota fuerunt et erant copulata. Ab hoc inde tempore usque ad horam ejusdem diei nonam, dum dolores ex partu lentiores perdurant nulla est visa ex genitalibus feminae sanguinis gutta. Nasus et pedes adhuc admodum erant frigidi, dum facies manusque paululum caleferi coeperunt; pulsus etiamsi erat acceleratus, tamen plenior evaserat paululum; tum vero aegrotae nonnullae guttae aetheris acetici sunt porrectae. Quo facto, postquam nona jam hora praeterierat, parturiens quartam per horae partem somno est usa satis placido. — Decima jam hora transacta dolores ex partu haud parum increverunt et aegrota in his doloribus laborare atque niti coepit; jam vero facies ejus sudore erat tecta; uasus nec non extremitates tamen erant frigidissimae, pulsus admodum debilis, ita ut interdum sentiri omnino non posset. Sunt etiam nonnullae partes obturamenti ex genitalibus extrusae; parturiens in latere dexteriore jacebat; dum igitur dolores ex partu perdurabant, intensum est perinaeum et doloribus iisdem omnes partes obturamenti alia super aliam ex vagina expelluntur. Ad postremum evolvere sese aliquid coepit: erat autem hocce placenta, quae uteri contractionibus omnino ex genitalibus expulsa est, idque sine ullis sanguinis profusionibus. Vix igitur haec placenta expulsio acciderat, quum Walter in lectulo usitato ab latere forcipem applicuit et caput, quod quidem jam ex tertio in secundum venerat situm normalem, ope duarum vel trium tractionum celeriter evoluit,

mox autem in dexteriores axillae cavitatem introducto digito manus dextrae reliquum quoque corpus infantile est extractum. Erat haec infans, magna corporis magnitudine, at mortua; in loco quodam brachiorum desolvi potuit epidermis. In placenta is locus, qui erat circumdatus uteri ore, erat coloris fuscii.

Uterus optime statim post infantem editum sese contraxit. Aegroti ipsa summo opere fatigata et defessa videbatur esse valdeque infirma, pulsus admodum cernebatur celer et parvus; cordis autem palpitatio irregularis erat. At hic tamen habitus aegrotae eadem jam in nocte evasit commodior, postquam porrectus ei erat nonnullis in dosibus aether aceticus nec non etiam vinum; namque pulsus coepit evadere magis regularis, plenus, tardiorque; somno etiam aegroti usa fuit quieto ac tranquillo; calor cutaneus magis magisque aequaliter dissipari coeptus est, neque tamen apex nasi et pedes ullo modo calefieri potuerunt; interne porrectum est aegrotae infusum Valerianae cum aethere acetico. Aliquot deinde diebus jam praeterlapsis ad usum Chinae (in forma infusi) sumus aggressi; quo facto, vix quatuordecim dies praeterfluxerant, quum ita refectae sunt aegrotae vires ut, precibus ipsius sequenti, tanquam satis validam ex instituto missam faceremus.

Partus praematurus, placenta praevia lateralis, obturatorum usus et versio in pedes.

Die mensis Decembris XXIV anno 1857 equidem advocatus sum ad mulierem quandam, in urbe nostra habitantem. Erat haecce femina undetriginta fere annos nata, et jam antea ter idque semper secundum normam

partus ediderat. Nunc igitur quartum erat gravida et quidem ut ipsa edixit in septimo jam graviditatis mense versabatur. Hac igitur ipsa nocte qua advocatus sum, quia aegrota aliqua re nimis erat exterrita, metrorrhagiae intrare coeperant, et has quidem brevi tempore sequuti sunt dolores, simillimi iis, qui ex parte oriuntur. Hi dolores dum adsunt, augentur etiam et increscunt sanguinis profluvia. Perscrutatus igitur aegrotam, abdomen non parum inveniebam extensum; fundum uteri tres digitos super umbilicum, dextera parte ab umbilico distincte sentire mihi licebat dorsum infantis, admodum mobilis, eodem omnino in loco cordis etiam palpitatio foetus audiri potuit mihi; in ipsa vagina inventae sunt sanguineae partes coagulatae, vaginalis portio uteri erat adhuc tres lineas longa, crassa, compressa, supra pelvis aperturam mediam ad os sacrum versus et paululum in partem sinisteriorem conversa; externum uteri os apertum erat, eademque omnino ratione canalisis vaginalis portio; internum autem uteri os nullo modo assequi poteram, quippe quod alte esset situm et multum in partem posteriorem vergeret. Per vaginae fornicem in spatio illo anteriore clare omnino sentiebam, positum fuisse foetus caput dum spatium posterius expletum fuerat massa quadam, quae quidem mihi non dissimilis videbatur esse placentae. Hanc igitur ob causam praeterea quoque ideo, quod proprium erat genus haemorrhagiarum, equidem placentam praeviam esse conjiciebam. Praecepit igitur primum, ut quiete quam maxima femina uteretur et interne leve quoddam acidulum praescripsi assumendum.

Die deinde Decembris mensis vicesimo quinto non

solum dolores ad partum, verum etiam sanguinis profusio haud parum vehementiora evaserunt. In interna quidem exploratione, quam tempore jam autemeridiano instituebam, uteri os unum fere digitum apertum esse inveni, admodum alto loco adhuc situm, et qua multum in posteriorem partem vergebat, non facile ad attingendum; per uteri os autem persentiebam partem quandam spongiosae substantiae placentae a parte posteriore et sinistra in uterum imminens, quae tamen pars totum os uteri impletum tenebat, per parietes autem segmenti uteri inferioris foetus caput mihi potuit sentiri. Haec igitur, quae modo observata a me dixi in exploratione, Walter, qui hora fere una post advenerat, affirmavit, at hoc tamen fuerat commutatum, quod nunc quidem Walter anteriorem partem oris uteri liberam vacuumque invenit, per ovi velamenta usque ad ipsum caput progredi potuit, a parte autem postica et sinisteriore prominebat quaedam pars placentae. Idem per tempus, quum doloribus ex partu paululum remittentibus haemorrhagiae simul non ita essent vehementes, aegrotae nihil aliud est porrectum, nisi acidum Halleri.

Una deinde hora elapsa non solum haemorrhagia, sed dolores etiam ex partu haud parum incrementum coeperunt, quo accessit, uti aegrotata admodum pallida fieret, infirmaque, corripere etiam vertigine, haberetque aurium susurrum. Walter statim postea quum advenerat, hora fere tertia tempore postmeridiano, obturamento vaginam obstipavit; quo facto mox sanguinis profusionibus finis est impositus, aegrotata in ipso principio habebat densationis sensationem in vagina, quae tamen paulo post omnino evanuerat. Hora fere quinta obturamenta

ista omnino vaginae contractionibus ex hacce extruduntur, qua in re simul apparuit nulla sanguinis profusio. Uteri os omnino erat apertum et alte adhuc positum, vesica haud parum erat intensa; caput persentisci non potuit. Quum autem dolores non ita essent vehementes dirupit Walter vesicam, eo nempe consilio ut istos quam maxime augetet: jam vero non caput sed dextera potius manus praevia esse reperta est et simul humerus, dorsum infantile in partem posteriorem erat conversum; Walter statim dextera manu in uterum introducta sinistriorem (superiorem) pedem apprehendit et ab hoc pede versionem, quam volebat, perfecit, quamquam hoc non sine ulla difficultate est factum, quum uterus jam contrahi coeptus esset. Extractio vero, quam statim post versionem confectam suscepit operator, nihil habebat difficultatis. Infans, qui erat puerolus parvulus admodum et praematurus, tenuia tantum edidit nobis indicia vitae, pluries etiam vagitum tollebat parva voce, tum praesertim quum ei inspergebatur aether acetieus in caput. Mox tamen hora fere prima ac dimidia, postquam editus erat, exspiravit infans. Placenta extemplo postquam partus erat infans, in vagina est inventa, et statim remota; erat placenta quasi divisa in plures lobos, margo alter dilaceratus esse videbatur et praeditus erat colore magis fusco, quam cetera loca. — Puerpera, quamvis tarde admodum, est tamen rursus refecta.

III. Puerperium.

Puerperium quidem plerisque in feminis nostro in instituto bene processit, quamquam accidebat nonnunquam ut morbi quidem leviores, sicuti febris levis, affectiones

inflammatoriae abdominis observarentur. Haec autem mala plerisque in casibus jam in ipso principio facile a nobis sublata sunt, adhibita vel diaphoretica methodo, vel rursus, si tempora postulabant, antiphlogistica. Inventae sunt inflammatoriae mammarum intumescendae, quibus tamen in casibus vim exhibere haud parvam magneticae manipulationes. Interdum sub conspectum adeo cadebat, quomodo ista ratio celeriter tumores dissipabat et lac, quod in mammis stagnabat, fluere rursus faciebat. Et id quoque non est silentio praetermittendum, in nostro instituto puerperia, quamquam partibus arte solutis, omnino tamen successisse normaliter, ubi nonnunquam aegrotae haud parum fuerant confectae operatione instituta; est autem non dubium, quin hujus rei ratio praecipue in eo fuerit posita, quod severe et accurate ratio est habita universalis parturientium valetudinis et cura puritatis aëris gesta. — Tantum in ipso principio anni 1857 ferme deinceps quaedam ex puerperis ita aegrotaverunt, ut nobis, morborum quoque imaginem respicientibus, suspicio exoreretur, esset ne haec epidemia quaedam febris puerperalis. Et aucta nobis est haec suspicio, quum in una eademque domo in sectione Chirurgica, in qua per insolitam aegrotarum multitudinem erat quasi vitiatus aër, casus quoque phlebitidis traumaticae, sub forma febris intermittens perniciosae, praecipue autem vulneratorum, fere eodem tempore apparerent.

Prima puerpera, quae quidem puella viginti annos nata, secundum partum ediderat, die Januarii mensis duodevicesimo in morbum incidit. Fuerat partus diebus tribus ante omnino normalis, at jam die sequenti ipsum

partum vasorum actio admodum cernebatur excitata, dolebant mammae cum abdomine, lactis secretiones haerere coeperunt, lochia parca admodum erant; die duodevicesimo febris valde erat vehemens facta, abdomen fuit inflatum, praecipue dolorificum in regione uterina in pressione vel lenissima. Locali sanguinis evacuatione instituta, et Nitro interne adhibito conjuncto illo quidem cum oleosa emulsione, abdominis sensibilitas remisit haud parum. Febris autem longius duravit; intravit etiam mox, ut nobis videbatur, catarrhalis quaedam pulmonum affectio, quae tamen, paucis diebus praeterlapsis, increvit usque ad bronchitidem; quamquam hoc in casu facta est venae sectio, quamquam in usum est vocatus Tartarus emeticus in majoribus crescentibusque dosibus, tamen auctae sunt molestiae pulmonum et phaenomena quaedam etiam cernebantur, quae, imminere jam pulmonum oedema, conjicere nos juberent; at adhibitis tamen emplastris magnis vesicantibus et continuato usu Tartari emetici hicce pulmonum status est emendatus; quum autem usurpari desitus fuisset Tartarus emeticus, Calomel cum herba Digitalis conjunctum est vocatum in auxilium; ad postremum autem vehementia morbi fracta, ad promotionem sputorum Sulphur auratum Antimonii in parvis dosibus a nobis aegrotae est porrectum. Die Februarii mensis XIV^{mo} omnino sanata ex nosocomio dimittitur aegrota.

Secunda puerperarum, mulier quaedam, annos fere nata viginti unum, florenti habitu, temperamento paululum phlegmatico, die secundo mensis Februarii aegrotare coepit, qui dies secundus erat post partum editum. Aegrota nocturno tempore magnum frigus sentiebat.

quod rursus excipitur a calore, dum adest quaedam irritatio vehemens atque continua systematis vasorum. Est igitur huic feminae porrectus a nobis Tartarus emeticus in dosibus parvis, quod quamvis fieret, ita tamen die insequenti adaucta est febris, ut aegrotae mox Nitrum adeo cum Tartaro emetico in dosi refracta praescriberetur et quamvis nulla posset animadverti localis affectio, institueretur tamen venaesectio. Die ejusdem mensis quarto rursus aegrotam magnum frigus corripiebat et paullo postea quoque phaenomena quaedam, pneumonia significantia, intraverunt; praecipue enim pulmo lateris dexteris affectus esse videbatur; rursus igitur venaesectio librae unius est instituta, rursus Tartarus emeticus est porrectus idque majoribus etiam in dosibus. Die quinto ad pectorales molestias comites etiam sese adjunxerunt vehementes congestiones ad caput; quae tamen, facta venaesectione tertia, sub noctem remittebant. E contrario autem inflammatoria quaedam affectio apparebat abdominis, quae die insequenti ad veram peritonitidem est adaucta; praecipue latus dexteris affectum esse cernebatur. In hoc casu hirudines sunt applicatae, adhibita etiam est venaesectio quarta librae unius; institutae deinde glacialia cataplasmata in abdomine et interne quoque pilulae glaciales secundum praecceptum G. A. Michaelis *) et simul cum his remediis Calomelanos duo grana, tertia quaque hora sumenda. Glaciei adhibitio admodum erat salutaris nec non jucunda aegrotae, neque tamen longius per tempus poterat con-

*) Neue Zeitschrift für Geburtskunde. Herausgegeben von Busch, D'Outrepoint und Ritgen, 1836. IV B. 38 Heft. S. 321.

tinuari, quippe quum pectoralis ista affectio valde incre-
scere coepisset et die insequenti bronchitis sese ad-
junxerat; quam ut tolleremus hirudines sunt applicatae
ad pectus, praeterea Nitrum in decocto mucilaginoso et
pulvis ex Calomelanic grano uno et Sulph. aur. Ant. gr. $\frac{1}{4}$.
Et diebus quoque insequentibus bronchitidis vehementia
haudquaquam remittebat. Die Februarii mensis duode-
cimo quinta venae sectio librae unius est in usum vocata
et Tart. emet. in dosibus majoribus accrescentibusque;
affectio pectoralis neque febris nihilosecius adhuc con-
tinuatae sunt atque bronchitis minitabatur transitum velle
facere in pulmonum oedema; totum igitur pectus obtec-
tum a nobis est rubefacientibus et vesicatoriis, praescrip-
tum etiam est infusum Senegae cum Ammonio muriatico
et postea, quum sputa admodum essent facta copiosa,
quamvis non desierant esse aquosae et spumosae, dolo-
rum pectoralium haudquaquam imminuta esset vehe-
mentia et febris nihilominus vehemens adhuc esset mag-
nopere, porrectum est aegrotae infusum Digitalis cum
acido Borussico, hujus nempe duae guttae pro dosi.
Hoc idem per tempus apud aegrotam nostram vehemens
quidam dolor intravit in sinisteriore regione glutea, et
ipsa in vicinitate spinae ilei posterioris magnus sese for-
mavit abscessus, qui quum apertus esset, maxima quanti-
tas puris iterum iterumque fuit emissa. Aliquot autem
dies quum vix praeterivissent, alter abscessus sese
formavit in regione dexterioris trochanteris, satis pro-
funde, qui, quum pariter esset apertus, identidem mag-
nam ejecit puris copiam. Ad postremum apud nostram
aegrotam, tanto opere cruciatam, ultima intravit morbi
forma: namque sub diem fere Februarii mensis XXVII

sinisterius femur aegrotae correptum est phlegmasia alba; tumor ab labiis pudendorum, quae etiam valde tumefacta erant, super totam extremitatem inferiorem sese extendebat, quae quidem altero tanto erat crassior, quam sana extremitas. Tumor ipse albidus erat, paululum versicolor, calidus admodum, intensus, dolorificus; tantum ad interius latus femoris, infra ligamentum Pupartii tumor idem magis erat oedematosus, magisque laxatus. In tumorem huncce mercuriales inunctiones sunt institutae (dr. $1\frac{1}{2}$ unġ. Mercur. ter quoque die); ad superiorem et inferiorem partem tumoris tenues quaedam striae emplastri vesicatorii sunt applicatae, altera post alteram; et bis etiam hirudines sunt adhibitae; interne ut antea, quia pulmonum affectio et febris perdurabant, infusum Digitalis usurpatur cum acido Borussico. Intra unius fere hebdomadis spatium, hac agendi ratione adhibita, sensim ac pedetentim tumor decrevit omnino; et dum ista geruntur, pectoris quoque affectio paulatim remiserat. Hoc igitur facto, nobis praecipue ratio erat habenda virium aegrotae, quae admodum erat confecta et emacruerat; est igitur aegrotae praescriptum decoctum Lichenis Islandici cum China conjunctim. Et haecce remedia dum adhibentur, paulatim relaxari et refici coepta est aegrota, ita ut Aprilis mensis die XI omnino sanata ex nosocomio posset dimitti.

Vehemens illa febris, reiteratus frigoris impetus, haec tam saepe mutata affectionis sedes; saepius reiteratae puris depositiones, quae tamen forte fortuna in partem exteriorem sunt factae et denique phlegmasia alba ipsa, mihi id videntur demonstrare, nobis hoc in casu phlebitidem puerperalem fuisse oblatam, quamvis in cu-

ratione morbi, quae feliciter electa fuit, non tam bene hoc possit constitui, quam saepius in morbis hujus generis fieri solet, sectione cadaveris.

Tertia deinde puerperarum, puella annos viginti et unum nata, die Februarii mensis XIII partu est soluta. Hebdomade autem vix post partum editum praeterlapsa, in facie puerperae, admodum inflata, eruptiones quaedam typhosis simillimae apparuerunt, quarum forma erat parvularum, eminentium macularum; in labro inferiore, in lingua et superficie genae interna erant aphtae pelliculosae; lingua ipsa in marginibus suis erat rubefacta, intumuerat, papillis tumidis obsita; abdomen in pressionibus erat sensibile, febris deerat omnis. Usurpabamus igitur externe quidem locales sanguineas evacuationes in abdomine, interne autem decoctum Althaeae cum Gummi arabico; dolores omnino evanuerunt. Die deinde Februarii mensis XXIV noctu aegrotam frigus vehementissimum incessivit, quod magnus est subsequutus calor. Matutino tempore diei insequentis vivacem febrem habebat, siccumque nos cernebamus calorem per totum corpus diffusum; pulsus erat fortis, durus atque acceleratus (ita ut in sexagesima quaque horae parte 124 micaret), abdomen autem intumuerat, valde intensum erat, et dolorificum, praecipue in regione inguinali sinistra, aegrota neque corporis sui motionem, neque tactionem ulla ratione potuit sustinere; capitis dolores vehementes aderant, imprimis in regione frontali, quo etiam accedabat sitis permagna; vomitus nullus est inventus. Est igitur hoc in casu venaesectio instituta unc. XVI, usque dum sequerentur animi deliquia; pulsus post institutam venae sectionem

debilis erat factus parvusque atque micabat in sexagesima quaque horae parte centies decies. Interne adhibita nobis sunt Merc. dulcis gr. II, secunda quaque hora sumenda; praescriptum est quoque decoctum Althaeae cum Gummi arabico. Quum autem, quattuor fere horis post venaesectionem institutam rursus increvissent dolores abdominis cucurbitae cruentae sunt applicatae; his autem cucurbitis cruentis adhibitis, ad inguinale latus sinistrum vesica, glaciei repleta, est admota et interne pilulae glaciales usurpatae, tam saepe, quam ipsa vellet aegrota, sumendae. Mane die Februarii mensis XXVI dolores parte sinisteriore ad abdomen multo mitigati fuerant, vehementia tamen magna in regione hepatica apparuerunt, abdomen intensum et tumidum uti antea, pulsus arteriorum in sexagesima quaque horae parte 66 micabat, at parvus erat et debilis. Frigus, externe admotum, nec non pilulae glaciales admodum sunt jucunda aegrotae. Post adhibitas cucurbitas cruentas in regione hepatica, glacie repleta vesica illo quoque in loco applicata est. Sub tempus meridianum aegrotae valetudo in melius mutabatur, doloresque in abdomine multo erant leniores, quamquam manu exhibueris pressionem. Frigus et externe et interne adhibitum jucundissimum est aegrotae, ideoque a nobis continuabatur. Cutanea temperatura normalis omnino erat, lactis secretio haudquaquam suppressa, lochia alba, parca; in facie aegrotae epidermis desolvebatur. Interne usum Calomelanos et mucosi decocti longius persequebamur. Tempore vespertino abdomen omni dolore vacabat, neque amplius tantopere quam antea, erat inflatum, pulsus arteriarum septuagies micabat intra sexagesimam quamque horae

partem. Frigus, quum incepisset jam injucundum aegrotæ esse, haud amplius a nobis adhibitum. Die Februarii mensis vigesimo septimo valetudo aegrotæ bona omnino atque commoda. Quum autem a die hujus mensis vicesimo tertio nullam habuerit aegrotæ alvi dejectionem, et clysmata, hunc ad finem adbibita, omni successu carerent, decoctum radicis Rhei et fol. Sennæ cum Natro sulphurico aegrotæ praescriptum fuit; et jam vesperi huius alvus est dejecta. Cum vero gingiva paululum affecta esset, usus Calomelanos non amplius continuabatur. Aegrotæ deinde commoda erat valetudine usque ad diem Maji mensis secundum, quo quidem die dolores coeperunt sentiri in regione epigastrica, qui tactionibus non parum adangebantur; præterea febris quoque aderat hoc tempore; est igitur venaesectio instituta, quo facto, omnia rursus in melius mutabantur. Et die insequenti, quo valetudine optima uti sibi videbatur, aegrotæ magnam quantitatem spiritus frumenti assumpsit: mox autem hancce ob causam vomitus ei exorti sunt maximi, vespertino tempore febris quoque non defuit et pleuriticam habebat affectionem in parte pectoris sinisteriore. Hinc duæ adhuc venæ sectiones sunt usurpatae; interne Calomel et Nitrum adhibebantur et vesicatorium quoddam in loco affecto. Die illius mensis vicesimo septimo aegrotæ omnino penitusque sanata ex nosocomio dimittebatur.

Quarta quaedam puerpera eodem fere tempore morbo erat correpta graviore, at alius omnino generis hujus feminae erat affectio: Puella sana omnino ac valida, quæ iterum partum erat editura, die Januarii mensis XXVI intra tertiam partus periodum in institutum

nostrum recepta est. Vix dimidia hora praeterierat, quum foetus partus sequutus est. Placentam sexta horae parte postea in vagina positam esse reperiebamus et quum illa extraheretur ex utero sanguinis profluvium ortum est, cujus unius fere librae pondo fuit quantitas. Uterus manualibus frictionibus ad majores contractiones permotus fuit, at sexta fere horae parte praeterlapsa nova est sequuta eaque vehementissima haemorrhagia uteri; hac haemorrhagia aegrotata plus quam unam dimidiamque libram sanguinis amittebat. Hinc animi deliquia enata, aegrotata omnino frigida jacebat pallidaque, pulsus erat, parvus, debilis. Haemorrhagia est illa quidem sedata instillationibus aetheris in abdomen aegrotatae frigidis deinde injectionibus et interna adhibitione tinct. Cinnamomi cum elixirio acidi Halleri. Praeter abdominis sensibilitatem et febrem leviolem, quae tamen mala brevi tempore remiserunt, aegrotata erat non mala valetudine, at tantum debilis usque ad Februarii mensis diem secundum, quo quidem die, ex causa animi motionis, rursus enata est vehementissima sanguinis ex utero profusio librarum unius et dimidiae pondo usque ad libras duas. Est vero sedata haec haemorrhagia in frictionibus fundi uteri, frigidis injectionibus in intestinum rectum. Interne autem porrectae sunt aegrotatae tinct. Opii simplicis gtt V, aliquoties dedie, et Ipecacuanhae radix in dosi refracta quaque hora sumenda. Aegrotata ipsa in summo versabatur gradu defectus sanguinis; febris aderat, abdomen in regione uteri sensibile; ex vagina subinde provenit aquosa secretio quantitate haud parva, quae erat interdum intermixta coagulatis partibus sanguineis. Hoc profluvium magis magisque factum est

profusum, admodum foetidum et saniei simile. Appropinquavit status hic putrescentiae uteri; attamen, postquam longum temporis spatium continuatus erat usus infusi Chinae cum Naphta aceti et tinct. Cinnam. et factis etiam in uterum injectionibus ex infuso florum Chamomillae et herbae Hyoscyami, paulatim tandem et pedetentim refecta est et relaxata aegrota.

Casu quodam accidebat, ut tempore quo multum nobis laboris exhibuerunt aegrotantes puerperae, eodem etiam quinque infantes vitam cum morte commutarent. Medio Martio mense duo sunt mortui gemelli infantes, qui nobis paululum immaturi esse videbantur; altera occubuit mortem nono fere die postquam in lucem erat edita, abrepta illa quidem spasms internis. In sectione instituta nihil est repertum grave magnique momenti, praeterquam quod inveniebantur a nobis nonnulla parvula hepatisata loca in pulmonibus. Alter gemellorum puerulus, ut erat verisimillimum, quia nimis incauta fuerat mater, die fere tertio decimo postquam editus fuerat, a matre, somno obruta, est pressione necatus. Instituta sectione inventum est sanguinis extravasatum sub dura matre.

Aprilis mensis die primo supremum diem obiit infans, quinto fere die postea, quum erat editus. Partus erat occipite praevio tertii generis, (qui situs serius in secundum transiit), tarde processit, tumor capitis erat magnus, dextrum os parietale paululum complanatum. Erat hic infans puer, summa corporis magnitudine, qui quamvis nihil prae sese ferret morbosum, tamen quattuor diebus per quos vivebat, alieni quiddam in natura sua ostendebat; maxime autem omnino id erat insolitum, quod sugere non poterat atque, quod quamvis haud qua-

quam pro trismo evoluta posset haberi, tamen paululum tantum os potuit patefacere, sin autem digitum in os ejus introduximus, comprimere eum solitus est utrisque maxillis; pedes ad crura attracti erant, ita ut dorsum pedis cruri adiacebat. Quinto die postquam natus erat, mater mortuum invenit puerum in lectulo jacere.

Sectione deinde facta cor est inventum mirum quam magnum, ventriculus dexter cordis nec non venae cavae maxime sanguine repletae. Sub tentorio cerebelli in latere sinistro extravasatum venosum non ita magnum repertum est; et in intestini ilei membrana mucosa exulcerationes 1 - 2 - 3^{'''} magnitudinis.

Die XI mensis Aprilis natus est in situ occipite praevio primi generis infans asphycticus, qui ad vitam revocatus fuit, respirationem, quamquam imperfecte, ducebat, sed post horam dimidiam mortem occubuit; sectione facta invenimus fracturam ossis occipitis formam crucis exhibentem, pulmones collapsi nec vestigium aëris continerunt *).

Die Julii mensis XIX^{mo} similis casus in nosocomio nostro occurrit: mulier octavum gravida, quae quidem ex prioribus partibus quinquies normaliter, bis artis auxilio (adhibito forcipe, versione) pepererat, primos ex partu dolores Julii mensis die XVIII vesperi sentire coepit, contractiones uteri spasmodicae erant: die XIX mane dirupta est vesica. Medicus quidam advocatus aliquot horis post diruptionem vesicae forcipem applicat, quod tamen cum successu careret, misit feminam in nosocomium

*) v. Fr. Siegel, de cranii neonatorum fracturis partu naturali effectis. Diss. inaug. Dorpati livonorum 1838. p. 25. seq.

nostrum. Cum parturiens vehementer irritata esset, haberet ad caput congestiones et abdomen esset in conditione spasmodice - inflammatoria, primo venaesectione instituta Opii dosis ei est porrecta; contractiones uteri regulares fiunt et quatuor jam horis, post edidit sine magnis molestiis magnum mortuum puerum. Sectio cadaveris infantilis ostendit magnam sanguinis extravasationem infra galeam aponeuroticam, perfecte diffusa erat sagittalis sutura, erat magna impressio ad dexteriolem suturam coronalem; vasa cerebri sanguine nimis impleta.

Infans ejus feminae, quae phlebitide puerperali laborabat, erat omne per tempus, quo mater aegrotabat bona valetudine atque alacer; eo autem tempore, quo ad reconvalescentiam redire illa coeperat, infans bronchitide correptus, unius hebdomadis spatio mortem obiit.

Decies ferme in nostro nosocomio per duorum annorum spatium blenorhoeas oculorum observavimus in neonatis; at opportuno tempore adhibitae hirudines et frigidae fomentationes eventum semper habuerunt prosperum.

Bis quoque idque anno hocce 1838 erysipelatem migrantem in neonatis observavimus. Altero quidem in casu, quattuor fere hebdomadibus postea, quam edita fuerat infans, hoc malum exortum est: ipso in initio dexterius femur et pudendorum labia erant affecta, unde tamen malum istud in omnes partes corporis infantilis migravit. Curatio hoc in casu constabat illa quidem in sicco, calido regimine et in usu medicamentorum leniter laxantium. Simulatque vero erysipelas evanescere coepit, apparuerunt compluribus in locis, praesertim vero in vicinitate articularum majores minoresve abscessus

in cuti; qui a nobis mox sunt aperti. Infanti, quo facilius vires sustentarentur porrectum est a nobis infusum Chinae, et paulatim tempore progrediente reconvaluit. Altero autem in casu erysipelate laborare coepit infans, unam tantummodo hebdomadem natus. Morbus a regione inde umbilicali profectus, magis magisque alte sese protendit. Est et in hoc casu iisdem, quibus antea, medicaminibus tractatum malum. Omnia brevi tempore in bona erant conditione; erysipelas, paucis diebus praeterlapsis, cessit, non nisi lenis videbatur esse in pedibus. Quum autem incautius infans hiece proflatus aëris fuisset expositus, repente correptum quoque est abdomen apparentibus statim vehementissimis symptomatibus peritonitidis, quo quidem morbo vix praeterierant aliquot horae, quum extremum vitae halitum efflavit infans.

Februario mense, anno 1838 infans est in lucem emissus spina bifida praeditus. Tumor, qui ejusdem ferme erat magnitudinis atque est ovulum columbinum, sedem suam habebat ad os sacrum atque quum, praevis clunibus editus fuisset infans, cutis ad tumorem erat laesa et inflammata. Statim post partum nonnunquam apparuerunt tremores spasmodici manuum, qui tremores ad postremum in convulsiones universales commutabantur, quo facto, infans jam sexto fere die, postquam fuerat natus, vita est privatus. Tumor iste tantum methodo leniter antiphlogistica est tractatus. Sectione cadaveris instituta in canali medullae spinalis extra duram matrem in parte ejus pectorali sanguinis extravasatio est reperta; tumor sedem suam habebat in ultimis utrisque lumborum vertebrae et in superiore vertebro falso ossis sacri; processus spinosi defuerunt et arcus vertebrarum diffisi

inter sese quattuor vel quinque lineas disjuncti steterunt. In tumore continebatur quoddam fluidum, puri simile. Eo in loco, ubi medulla spinalis tumorem attingebat, sinuans sese in cavitatem ejus sese convertit et singuli fasciculi caudae equinae nec non posteriora et anteriora vasa spinalis medullae ad interiorem superficiem sese extenderunt. Cerebellum et medulla oblongata omnino circumdata fuerunt humore quodam puriformi, quo etiam ventriculi cerebri erant impleti.

Praeter casus mere obstetricios sunt etiam in nosocomio nostro nonnullae operationes in morbis quibusdam femineis institutae:

Operatio ad fistulam vesico-vaginalem.

T. quaedam, mulier viginti annos nata, quae primum partum ediderat, recepta est illa quidem in nostrum institutum die Junii mensis 1^{mo} anno 1836. Partu soluta erat haec femina sex hebdomadibus antea, quam veniebat in nostrum nosocomium. Partus, qui sex fere dies perduraverat, est terminatus ab mulieribus adstantibus ope forcipis (*Reißzange*), quo quidem caput, inter utraque pudendorum labia situm, extrahebant. Sequuta inde est magna perinaei ruptura et dilaceratio colli vesicae, ut ita hac ex causa completa incontinentia urinae exoreretur. In interna exploratione ope digitorum instituta et oculari in vesicae collo tam magnum est repertum vulnus, ut sine ulla difficultate introduci posset digitus. Margines vulneris hujusce erant impuri obtectique sedimento quodam albido urinario; hoc autem sedimento remoto, margines vulneris reperti sunt rube-

facti, vulnus ipsum forma rotunda fere praeditum; externa genitalia urina inflammata. Aegrotā speciem habebat miserrimam; erat admodum defatigata, inquieta, febrem habebat. Duabus fere hebdomadibus postea, quam recepta fuerat, intra quod quidem tempus studueramus omni modo inflammatoriam affectionem genitalium sedare, ad vulnus istud vesicale tres simplices suturae sunt applicatae. Aegrotā sine ullis molestiis operationem susceptam sustinebat; in urethram elasticus quidam catheter introductus erat, per eumque continuo ejecta est urina. Duodequingenta horis postquam facta erat operatio, duo filorum sunt remota; Septuaginta duabus horis, tertium. Hoc tempore tamen apparuerunt in aegrotā vehementes dolores in abdomine et evoluit sese brevi peritonitis, cujus sequela erat ea, ut aegrotā, tribus fere diebus postea, morti succumberet.

Sectione instituta, omentum majus omniaque intestina concreta inter sese inventa sunt a nobis. Multis deinde locis magnae erant colluvies materiae cujusdam puri simillimae, atque peritoneale involucrium intestinorum multis in locis strato obductum erat duas vel unam lineam crasso, lymphatico densoque. Vestigia inflammationis recentis deerant omnia, vesica urinaria erat normalis. Vagina autem in superiore sua parte erat concreta, at laxa tamen. — Verisimillimum est, ut jam antea, in puerperio haec femina peritonitide laborare potuerit; ex cujus causa haecce densissimae sese formarunt concretiones et puris depositiones, quas vix credi potuerit factas esse trium dierum spatium; et nunc quidem forsitan, redintegrato impetu, recidivum intraverit.

Ligatura polyporum uteri bis peracta est anno 1836. *)

Bis quoque a nobis propter prolapsum uteri completum *episiographia* est facta, idque cum eventu rei omnino felicissimo. Alter casus erat in muliere, duodequadraginta annos nata, quae quidem quia laborabat ascitide, bis jam sustinere non dubitaverat paracenthesin; hoc in statu tamen haecce femina speciem habuit bonam omnino atque integram. Jam longius per tempus prolapsu uteri laboraverat, qui ultimis temporibus eadem fere magnitudine, quae est pugnus, ex genitalibus prominebat. Operatio, quam fecit P. Walter, sequuta omnino est regulam I. C. G. Fricke**); applicatae sunt suturae octo. Praeter tensionem quandam in vulnere, omnia morbosa phaenomena post factam operationem erant procul. Die sexto post operationem quattuor suturae posteriores, diebus autem insequentibus reliquae quattuor sunt desumptae. Urina hoc in casu semper ope catheteris evacuata fuit; clysmatibus autem provocata etiam est fluidior alvi dejectio. Prima intentio felicissime omnino successit, et tandem de commissura posteriore remanebat quoddam orificium, lineas tres longum, quod tamen paulo post rursus concresebat. Viginti diebus post operationem factam ambulare jam potuit aegrota. Septem fere mensi-

*) v. F. Veh. *Comparatio Ligaturae et resectionis polyporum uteri*. Diss. inaug. Dorpati Livonor. 1837.

***) Ej. *Annalen d. Chirurg. Abtheil. des allgem. Krankenhauses in Hamburg*. Bd. II. 1833. S. 141. seq.

bus postea omnino validam vidi eam; concubitum etiam fieri posse cognovit.

Altero in casu feci equidem operationem in femina quadam, quadraginta annos nata, quae inde a tribus annis uteri prolapsus completum habebat: plerumque quidem uteri pars prominebat ejus magnitudinis quae est ovuli anserini; in laboribus autem majoribus, quos haec femina, quia erat ordinis infimi, evitare nullo modo poterat, aucta haec pars esse solebat usque ad magnitudinem capitis infantilis, prominens ex genitalibus. — Novem suturae adplicatae sunt; sexto die postquam instituta erat operatio tres suturae a posteriore comissura sunt remotae, in sequentibus diebus reliquae sex. Hocce in casu est a nobis adjecta obstructio alvi; primis diebus quattuordecim post operationem institutam per duas vices alvus solvitur; sanatis vulneris per primam intentionem, quamquam ex sententia, tardius tamen multo successit, quam in casu superiore, quia nonnunquam urinam emisit sine cathetere eaque vulnus rursus impurum fecit. In parte posteriore vulneris remanebat apertura quinque lineas magna. Quarta hebdomade demum postquam instituta fuerat operatio, venia est data aegrotae ambulandi.

Dr. D. W. H. Busch in sua commentatione: *Die Geburtshülfsliche Klinik an der Königl. Friedrich-Wilhelms-Universität zu Berlin*. Berlin 1837 p. 227. contendit, opus omnino non esse episioraphia; atque in feminis junioribus in uteri prolapsu sufficere posse situm aegrotarum horizontalem, remedia adstringentia et pessa-

ria; in senioribus vero operationem nostram non facile esse successuram. At contra hoc viri illius posterius dictum ipsa contradicit experientia et num pessaria ibi poterant sufficere, ubi, sicuti in nostro casu posteriore, femina laboribus gravibus victum sibi debet quotidianum acquirere?

